



The Holy See

FRANCISCUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

CONSTITUTIO APOSTOLICA

NYIREGYHAZANA PRO CHRISTIFIDELIBUS RITUS BYZANTINI*

IN HUNGARIA NOVA EPARCHIA NYIREGYHAZANA
PRO CHRISTIFIDELIBUS BYZANTINI RITUS CONDITUR

Ad aptius consulendum spirituali bono atque regimini Christifidelium Byzantini ritus in Hungaria degentium, opportunum est visum pro iisdem Eparchiam condere. Audito igitur Venerabili Fratrem Nostro S.R.E. Cardinale Praefecto Congregationis pro Ecclesiis Orientalibus, sequentia decernimus. Ex territorio a iurisdictione Archiepiscopi Haidudoroghensis detracto – id est in regionibus civilibus *Szabolcsis*, *Szatmarsis* et *Beregsis* – suprema Apostolica auctoritate constituimus Eparchiam Nyiregyhazanam cum omnibus iuribus atque obligationibus, quam Metropolitanae Ecclesiae Haidudoroghensi subicimus cuiusque sedem in urbe Nyiregyhazana ponimus, habens Cathedralis ecclesiam in sacra aede Deo dicata in honorem Sancti Nicolai, Episcopi Myrensis. Insuper omnes sacerdotes Archieparchiae Haidudoroghensis in paroeciis praedicti territorii ministerium exercentes suum novae Eparchiae ipso facto incardinabuntur, necnon seminarii alumni ex iisdem paroeciis provenientes ad novam circumscriptionem pertinebunt. Eius autem constitutio et administratio ad normas Codicis Canonum Ecclesiarum Orientalium fiet. Quae vero iussimus ad effectum rite adducantur deque absoluto negotio sueta documenta exarentur et ad Congregationem pro Ecclesiis Orientalibus mittantur. Hanc denique Apostolicam Constitutionem nunc et in posterum ratam esse volumus, contrariis rebus nihil obstantibus.

Datum Romae, apud S. Petrum, die undevicesimo mensis Martii, in sollemnitate Sancti Ioseph, Sponsi Beatae Mariae Virginis et Patroni Universalis Ecclesiae, anno Domini bis millesimo decimo

quinto, Pontificatus Nostri tertio.

De mandato Summi Pontificis
Petrus card. Parolin
Secretarius Status

Franciscus Di Felice, *Proton. Apost.*
Leonardus Sapienza, *Proton. Apost.*

*AAS, vol. CVII (2015), n. 6, p. 506.

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana